



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs IV. Vtrum liceat contrariè opinari de notionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

Ob. 1. cont.
4. Concl.

Contra eandem partem argu. Vasq. Primò. A Basili. lib. 4. contra Eunomium parum à principio sic ait: Quare innascibilitas substantie modus, non substantie (id est essentie) nomen est. Cyril. li. 1. Theauri ca. 4. circa finem ita loquitur. Et nomine ingenti, non substantiam (hoc est essentiam) sed modum, quo Deus est significare volumus. & Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. sic ait: Vox ingentis, nec natura discrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem (qua scilicet pater filio antecellat) sed existentis modum indicat: Ergo nomen ingenti positum aliquam rationem significat. Resp. nullam esse consequ. negationem namque modus quidam est substantie negatiuus. Secundò dico, innascibilitatem non significare modum positum formaliter aut materialiter in trinfecè, sed illum connotare seu indicare tantum ut fundamentum. Tertiò illam indicare personam patris sub ratione primi principij, & hic est modus de quo loquuntur SS. Patres prædicti.

Obi. 2.

Secundò. Ut aliquid habeat rationem notionis, necesse est illud ad dignitatem, hoc est ad perfectionem persone pertinere; at negatio nullam tribuit dignitatem; Ergo innascibilitas, quæ notio est, non est pura negatio. Resp. notionem positam esse innotescendi gratia, ac proinde illud omne, quo specialiter persone dignitas innotescit siue sit affirmatiue significatū, siue negatiue, aut potius sit mera negatio, ad notionem pertinet numerum: Iam autem ostendimus negationem illam, quam significat innascibilitas, rationem esse specialem cognoscendi personam patris & eius dignitatem: immò secundum nostrum modum intelligendi, ad maximam dignitatem patris pertinere; quia scilicet carere principio sui productiuo, summa dignitas est vel conditio saltem sine qua non esset in patre summa dignitas.

Alia obiectiones.
Prima.

Deinde argumentatur contra rationes Caietani, & SS. Patrum. Primò. Nisi per negationem conciperemus aliquam positum rationem principij, sequeretur ipsam solam negationem inter notiones persone non esse numerandam; Ergo debebat ostendere Cai. quomodo id quod per innascibilitatem concipimus, sit distinctum positum ab alijs notionibus, nostro modo intelligendi. Resp. assumptam propositionem esse falsam, ob rationem paulò ante dictam. Secundò dico per innascibilitatem à nobis cognosci vniuersalem patris auctoritatem & fontalem plenitudinem, non ut clausam in intellectu innascibilitatis, sed ut connotatā tanquam fundamentum. Tertiò dico per eandem cognosci personam patris in ratione primi principij, quæ optimè cognoscitur per negationem.

Secunda.

Secundò. Nihil refert innascibilitatem esse negationem peculiarem in patre æterno, & eam in alijs patribus creatis non reperiri, ad hoc ut sit peculiaris notio patris æterni; Ergo &c. Probatur antecedens; quia si non inueniatur aliquid positum speciale, quod negatione illa innotescat, non debet specialis notio constitui. Resp. falsum esse antecedens. Ad probationem dico satis esse ea negatione personam patris innotescere, quatenus ab alio non est, nec requiri, ut aliquid speciale positum in patre per eam cognoscamus.

Tertia.
Solus.

Tertiò. Ratio, quam Cai. affert ex Hilario parum habet momenti. Ergo &c. Resp. falsum esse antecedens, & modestia Theologi Doctoris indignum. Iam enim ostendimus rationem illam multum habere momenti. Quod autem attinet ad illud positum, quod affirmat Vasq. per

nomen innascibilis significari, in ar. 4. sequentis examinabitur.

Quartò contra eandem rationem, Si idè innascibilitas est notio, quia denotat aliquam patris dignitatem seu auctoritatem, sequitur eam non esse notionem ratione negationis, sed ratione positivæ dignitatis, quam indicat. Probatur sequela; quia nulla negatio ut negatio, potest esse dignitas alicuius aut perfectio, tamen negatione aliquando perfectionem positivam significemus.

Resp. nullam esse consequ. Ad probationem dico, licet negatio per se præcisè non sit dignitas, requiri tamen ad patris dignitatem necessariò, & ex ea cognosci patrem speciali modo, & hoc satis est ut sit notio. Nec tamen sequitur inspirabilitatem esse notionem; quia per eam quoquo modo cognoscimus secundam personam, ut deducit Vasquez: nam inspirabilitas neque ad dignitatem attinet filij, nec specialem affert rationem cognoscendi; nam hoc ipso, quod filius est, inspirabilis est.

Cetera quæ ex eiusdem expositoris discursu militare possent contra propositam Sanctorum & D. Tho. doctrinam, eadem per spicua fugantur luce veritatis.

CONTRA ultimam conclus. argum. Torres & Zum. Plures rationes, affirmationes & negationes sunt in Deo, ad quas exprimendas sancti plura nomina abstracta imponere potuerunt; Ergo plures esse notiones potuerunt, quam quinque. Resp. nullam esse consequ. ob ea, quæ supra latè diximus de ceteris negationibus & affirmationibus, quibus omnibus & singulis ostendimus deesse conditionem aliquam necessariam ad notionem.

Obi. cont.
vis. concl.

ARTICVLVS IV.

Utrum liceat contrariè opinari de notionibus.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod non liceat contrariè opinari de notionibus. Dicit enim Aug. in 1. de Trim. quod non erratur alicubi periculosius, quam in materia Trinitatis, ad quam certum est, notiones pertinere. Sed contrariè opiniones non possunt esse absque errore. Ergo contrariè opinari circa notiones non licet.

2. Præterea. Per notiones cognoscuntur persone ut dictum est. Sed circa personas non licet contrariè opinari. Ergo nec circa notiones.

Sed contra. Articuli fidei non sunt de notionibus. Ergo circa notiones licet sic, vel aliter opinari.

Respondeo. Dicendum, quod ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Vno modo directè, sicut ea quæ nobis sunt principaliter diuinitus tradita, ut Deum esse trinum, & vnum, filium Dei esse incarnatum, & huiusmodi. Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim: maxime si pertinacia adiungatur. Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei. Sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanæ, ex hoc enim sequitur, Scripturam diuinam esse falsam.

Circa huiusmodi ergo, absq. periculo hæresis, aliquis falsum potest opinari, antequam consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, & maxime si non pertinaciter adhareat. Sed postquam manifestum est, & præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absq. hæresis. Et propter hoc, multi nunc reputantur hæretici, quæ prius non reputabantur propter hoc, quod nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur. Sic igitur dicendum est, quod circa notiones aliqui absque periculo hæresis, contrariè sunt opinari, non inten-

184.
1. dist. 33. q. 5.
Lia de tri.
c. 3. 10. 3.

Art. præc.

inten-

intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans, quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in heresim laberetur. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Sensus questii.

NON quæritur hic determinatè de notionum negatione quoad earum esse, & quoad earum numerum sed indistinctè. Videtur tñ hic præcipuè quæri, non de proprietatibus secundum rem sed prout formaliter notiones sunt; respicit enim hic articulus ea, quæ duobus præcedentibus fuere determinata; constat aut in 2. a. D. Th. disputare cum Præpositiuis de diuinis proprietatibus & relationibus quatenus abstractè significantur, ac pròinde sub ratione notionum. Quem sensum non obscure significat S. Th. in 1. dist. 27. q. 1. a. 1. ubi errorem circa notiones comparat errori circa relationes & proprietates, indicans planè formalem quæstionem diuersitatem. Adde supra q. 28. a. 2. determinasse contra Gilbertum esse errorem in fide asserere in Deo relationes esse tantum extrinsecus affixas, & ab eius essentia separatas; igitur hic non de relationibus sed de notionibus formaliter est sermo. Ex quo patet non rectè sensum quæsi & responsionis à Mol. & Val. fuisse perceptum, quorum alter ab hoc quæsto numerum, alter notiones formaliter excludit, ad proprietates personales simpliciter responsum referens.

Forma Textus.

TRiplex colligitur ex littera distinctio, & sex conclusiones.

Prima distinctio est. Ad fidem pertinet aliquid dupliciter: Vno modo directè, sicut ea quæ sunt nobis principaliter diuinitus tradita, vt Deum esse trinum & vnum, filium Dei esse incarnatum & huiusmodi. Indirectè verò ad fidem pertinent ea ex quibus scilicet negatis sequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanæ; nam ex hoc sequitur Scripturam diuinam esse falsam.

Secunda distinctio. Circa ea quæ indirectè pertinent ad fidem, potest aliquis falsum opinari dupliciter: Vno modo antequam cōsideretur vel determinatum sit, quod aliquid ex hoc sequitur contrarium fidei: Alio modo postquam manifestum est & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei.

Tertia distinctio. Duplīer contingit opinari falsum, tam circa ea quæ directè, quam circa ea quæ tantum indirectè pertinent ad fidem: Vno modo cum pertinacia: Alio modo sine pertinacia.

PRIMA CONCL. Opinari falsum circa ea, quæ directè ad fidem pertinent, hoc ipso inducit heresim, maxime si pertinacia adiungatur.

SECUNDA CONCL. Opinari falsum circa ea, quæ indirectè pertinent ad fidem, antequam consideretur vel determinatum sit quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, est absque periculo heresis, maxime si non pertinaciter adhereat.

TERTIA CONCL. Opinari falsum circa ea, quæ indirectè pertinent ad fidem, postquam manifestum est, & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non est absque heresi.

QUARTA CONCL. siue corollarium: Multa nunc reputantur heretica, quæ prius non reputabantur. Probatur; quia nunc est magis manifestum

A quid ex eis sequatur.

QVINTA CONCL. Circa notiones aliqui absque periculo heresis contrariè sunt opinati. Probatur: quia non intendebant sustinere aliquid contrarium fidei.

VLTIMA CONCL. Si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in heresim laberetur. Hæc relinquitur nota ex præmissis distinctionibus.

Expositio Textus.

DISTINCTIONEM primam latius explicat D. Tho. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1. & q. 2. a. 5. dicens quædam esse credibilia, de quibus est fides secundum se, siue per se ac principaliter: hæc verò sunt quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, vt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, & alia huiusmodi; & secundum hæc distinguuntur articuli fidei. Quædam alia sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se siue per se, sed tantum per accidens siue in ordine ad alia manifestanda & secundario: sicut quod Abraham duos habuit filios, quod ad tactum ossium. Elisæi suscitatus est mortuos, & alia similia, quæ narrantur in sacra scriptura in ordine ad manifestationem diuinæ Maiestatis vel incarnationis Christi. Priora credibilia tenentur fideles omnes explicitè credere, cum etiam publicè ac solemniter toti populo proponantur in Ecclesia. Posteriora verò non tenentur omnes explicitè sed tantum implicitè credere, quatenus scilicet in sacra Scriptura continentur, quam credunt fideles omnes esse diuinitus reuelatam: nisi postquam constiterit ea in doctrina fidei contineri: tunc enim ea tenentur omnes explicitè credere. Superiores tamen ad quos pertinet alios erudire, multa de secundario credibilibus tenentur explicitè credere, sicut etiam ad eos attinent subtiliores considerationes circa diuinæ Trinitatis & Mysterij Incarnationis arcana. Ex hac D. Thomæ doctrina patet Bannesium in 2. 2. q. 11. a. 2. dub. 1. non bene explicasse, quænam ad fidem directè vel indirectè pertineant: Dixit enim ea ad fidem directè pertinere, quæ immediatè cadunt sub habitu fidei, hoc est sine consequentia rationis, & hoc modo (inquit) ad fidem directè pertinent omnia, quæ sunt in sacra Scriptura, traditiones Apostolicæ & definitiones Conciliorum. Indirectè verò illa, ex quorum negatione sequitur necessariò falsum esse, quod asseritur per fidem; vt si quis negaret Christum esse risibilem: sequitur enim Christum non esse verum hominem. Pugnat enim hæc expositio manifestè cum doctrina D. Thomæ paulò antè relata. Dicendum est igitur, ea tantum ad fidem directè pertinere, quæ publicè & solemniter fidelibus in Ecclesia credenda proponuntur, tanquam ad salutem maximè necessaria, vel necessitate medij vel saltem necessitate præcepti. Quamobrem sacra Scriptura, traditiones Apostolicæ & Conciliorum definitiones ea ratione directè, ac per se ad fidem pertinent, quæ necessaria continent ad salutem, siue sint articuli fidei siue legitima eorum intelligentia: quo ad reliqua verò secundario tantum & in ordine ad principalia credibilia siue per accidens ad fidem pertinent; vnde neque omnes communiter ea scire tenentur & explicitè credere, nisi fortè ad eorum notitiam peruenerint, alioquin oporteret fideles omnes esse doctissimos. Circa reliquas verò distinctiones, quæ necessaria sunt, inferius annotabimus.

Quænam di rectè & quæ indirectè pertineant ad fidem, & quæ censentur hereticæ, & an sit temerarium sextam distinctionem inducere.

Contr. Ban.

VI. 11.

Ut autem primæ distinctionis necessitas ac simul primæ & tertiæ conclusionis discrimen & sensus eluceat, sciendum est, aliud esse loqui de hæresi & de hæretico secundum se, siue secundum rei veritatem: & aliud de eisdem sermonem habere prout exteriori iudicium violatæ religionis subduntur censura. Nam si de rei veritate loquamur tam hæreticus est qui falsum opinatur in his quæ ad fidem pertinent indirecte, supposita noticia doctrinæ fidei aut determinationis Ecclesiæ, quam qui falsam habet opinionem cum pertinacia circa ea quæ directe ad fidem attinent. Si verò confiderentur dictorum opinantium errores, prout humanæ subduntur autoritatis iudicio, non modica distat ab inuicem differentia; nam qui falsam habuerit opinionem in ijs quæ directe ad fidem pertinent, hæreticus iuxta leges & facti probationes censetur à iudicibus: nisi (quod haud facile est) probet efficaciter ignorantiam, per quam excluditur pertinacia. At qui falsitatem aliquam aduersus ea quæ indirecte ad fidem attinent, mente tenuerit & verbis etiam expresserit, non statim hæreticus iudicabitur; nisi doctrina, magisterium, aut pastorale munus excusationem omnem ignorantie resecauerit, quam gregales homines in simili materia sibi legitime possunt ostendere.

Item verò hic offerunt sese plura de pertinacia de nomine hæresis, & eius ratione disputanda, quæ huic loco minimè congruunt: sed propriam habent sedem, in 2.2. q. 11. a. 2. quo loco videndus est Cai. & Ban. ac ceteri S. D. interpretes. Explicat hic eandem materiam Torres multis cap. non minus piè, quam eruditè.

Aduerte tamen differentiam, quam hic statuit Cai. inter requisita ad rationem hæresis & ad rationem hæretici fuisse ab eodem retractatam in 2.2. q. 11. a. 1. vt hic obseruat Iauellus: & posteriorem Cai. sententiam sequitur & explicat Ban. in d. loco dub. 3. vbi ex Cano de locis lib. 12. c. 8. vtrumque dicendi modum ex parte conciliat.

Postremò ad quæsitum illud: Num sit error, aut temeritas aliqua sextam notionem inducere: Torres in a. pr. ac. prope fin. respondet, sine temeritate & erroris periculo non posse nouum notionis nomen induci contra communem auctoritatem Doctorum & Sanctorum. Quam sententiam sequitur Bann. in eodem a. dub. 1. & Zum. disp. 1. Cuius tamen oppositam pronunciat Rada in supranotata controuer. 25. a. 3. dicens, opinionem asserentem in diuinis esse sex notiones, esse in fide tutissimam; quod dictum probat primò, quia etiam si Patres antiqui dixissent notiones esse quinque, non tamen inde colligitur eas non esse sex: & argumentum ab autoritate negatiue non valet. Nam quod quinque notiones tantum posuerint & non sex, in causâ esse potuit quia plures non cognouerunt: sicut patet de Ambrosio, qui innascibilitatem inter notiones recusabat admittere; nec vllus Sanctorum vnquam dixit esse quinque notiones. Secundo, quia ponere sex notiones nullo modo derogat fidei Catholicæ circa mysterium Trinitatis; quia cum sex notionibus æquè benè saluantur omnia, quæ pertinent ad fidem Trinitatis sicut cum quinque tantum. Deniq; Doctores scholastici opinionem de quinque notionibus defendunt vt probabilem.

Sed hæc partim nullius omnino sunt ponderis & partim falsa. Ad primum. n. dicitur, quod licet argumentum ab autoritate negatiue cõmuniter non valeat, plurimi tamen æstimanda est SS. Patrum & Scholasticorum diligentia in Mysterio SS. Trinitatis, in cuius contemplatione quam

A maximè Patres laborarunt, vt fidei veritatem de vnitæ essentia & Trinitate personarum aduersus hæreticos tuerentur; atque ideo rationes quibus ab inuicem discernentur personæ subtiliter excogitarunt, & ad veræ fidei firmitatem in Ecclesia perpetuo conseruandam Scripturæ commendarunt. Cum itaque plures non agnouerint & quinque dumtaxat recensuerint, magnum argumentum est ex Patrum sententia non esse plures. Loca Patrum annotarunt diligenter Suar. lib. 3. c. 9. & 10. & lib. 8. c. 2. & Vafq. disp. 137. & 140. His adde nullam de quatuor relationibus esse posse controuersiam, an sint notiones; nam hoc ipso quod vt proprietates personarum, ac formæ concipiuntur abstractè, rationes sunt cognoscendi ac proinde notiones. Ad secundum dico, si dei Catholicæ multum præiudicare noua signimenta & vocum nouitates, in summo præsertim Mysterio SS. Trinitatis. Ad vltimum dico, Doctores Scholasticos, non vt simpliciter probabilem sed veluti à Patribus acceptam & validis argumentationibus comprobata, de quinario notionum numero tueri sententiam, vt perspicue videre licet in discursu D. Tho. superius explicato. Quid verò significare voluerit Ambrosius non admittens ingenti nomen in patre, explicant Torres & Ban. in seq. q. a. 4. & ibidem alij recentiores, & in a. pr. ac. satis ostendimus.

QVAESTIO XXXIII.

De persona patris, in quatuor articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de personis specialibus. Et primò circa personam patris. Circa quam quæramur quatuor. Primò. Vtrum Patri competat esse principium. Secundo. Vtrum persona Patris propriè significetur hoc nomine, pater.

Tertio. Vtrum per prius dicatur in diuinis pater secundum quod sumitur personaliter, quam secundum quod sumitur essentialiter.

Quarto. Vtrum sit proprium Patri, esse ingentium.

Ratio ordinis huius questionis, & articulorum eius inter se.

HVCVSQVE tractauit S. Th. de personis diuinis & de pertinentibus ad earum notitiam in communi: nunc incipit agere de personis in particulari. Et quoniam persona Patris est primum principium, quod a nullo est & a quo reliquæ duæ personæ procedunt: idcirco primò disserit de persona Patris, & agit primò de ea quo ad nomina positiua, in primis tribus articulis: deinde quoad nomen negatiuum, quod est ingentium in 4. & vlt. a. Quo ad primum, tractat primò nomen magis commune; quod est principium: deinde nomen Patris; quod est proprium primæ personæ in diuinis: de quo duo tractat, scilicet eius significationem in 2. art. deinde modum siue ordinem significandi in tertio articulo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum competat Patri esse principium?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Pater non possit dici principium Filij, vel spiritus sancti. Principium enim & causa idem sunt secundum Philosophum. Sed non dicimus Patrem esse causam Filij.

Ergo

Hæreticus
quis sit.

Rada sen-
tentia, &
rationes.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Rada argu-
etur.

184
Inf. q. 36. a.
4. & 1. d. 1.
29. a. 1. &
op. 1. ca. 2.
6. p. q. 1. a.
a. 1. 8. 10.
18. x. lib. 4.
Metaph. 10. 3.
10. 3.